

DISSERTATIO ACADEMICA,
SISTENS
QUÆSTIONES THEOLOGICAS,
IN USUM SEMINARII THEOLOGICI;

CUJUS

PARTEM PRIOREM

APPROBANTE MAX. VENER. FAC. THEOL. ABOËNSI,

MODERANTE

JACOBO BONSDORFF,

S. S. Theol. Profess. & Licent.

publico examini subjecit


MATTHIAS LAURÉN,

V. D. Minister.

In Auditor. Superiori d. 11 Maji MDCCCXII.

h. a. m. c.

ABOË, Typis Frenckellianis,





PRÆFATIO.

Ut universum Theologiæ, Dogmaticæ & Practicæ, ambitum rite investigare, resque notatu dignissimas non modo dignoscere, verum e iam ad justam meditationem et usum referre valerent hujus studii alumni, varia dudum adhibuerunt Scriptores, in hoc genere laudatissimi, adminicula. Aut enim conspectum & indicem rerum, in ipso systemate Theologico pertractandarum, præmiserunt, aut dialogistica interdum usi sunt forma, questionibus & responsionibus comprehensa, id præprimis habentes consilii, ut præcipuam dicendorum materiem tanto altius memoriæ mandarent suæ tirones aliique lectores. Neque nullum præstitit usum qui thesium & aphorismorum instrumento pleraque essentialia complexi sunt religionis dogmata, probe gnari, quam facile sit errandi periculum, quamque otiosa omnis lectio, nisi materiæ ipsius religiosæ fines satis fuerint stabiliti & ad praxin applicati. Proinde & nos Sacra hæc adeuntibus religionis nostræ adyta exhibemus & commendamus quandam, nec penitus novam, studii Theologici applicandi methodum,

A

quam

quam longa dudum experientia percepimus fuisse proficuum, ut scilicet propositis quæstionibus Theologicis animos juveniles ad attentam Compendiorum sive Systematum alliceremus lectionem, iisque materiem subministrarem tum meditandi, tum quoque cogitandi & repetendi, quæ dudum ab iis perlecta fuerint. Quæ ipsa quoque causa est, cur nullas subjunxerimus responsiones, ne propria discipulorum retardaretur aut torpesceret iudicandi facultas, sed incitaretur atque cresceret. -- Eum vero potissimum in hisce quæstionibus rimandis observent juniores ordinem, ut sollicitius perlegant articulum quendam in Theologia, sagacissimis Auctoribus pertractatum, antequam vires suas ipsi periclitentur, graviora rerum enodando argumenta. Atque licet non omnem, breviori hoc conspectu, exhaustire poterimus Theologicarum veritatum fontem, plerasque tamen & potiores sive res, sive controversias, sive probationes ad examen atque scrutinium revocare studuimus, ceteras intelligentiæ cujuscunque committentes. Quod si vero ardua & difficilioris indaginis videantur nonnulla a nobis proposita themata, maturiores profectus & incrementa studii Theologici iis ipsis accelerari posse, nulli dubitamus.

QUÆSTIONES THEOLOGICÆ.

De Religione in genere.

- Quanam Scientia ceteras inter eminet & dignitatem tuetur suam?
- Quid est religio, & quot habet partes?
- Quodnam præcipuum est religionis consilium, l. finis — quis usus?
- Quonam essentiali in momento religio omnis versatur?
- Ex qua parte cultus externus ad religionem pertinet?
- Num ulla gens absque religione subsistere ac felicitatem obtinere potest?
- Quomodo vocantur qui religionem negant?
- Quotuplex est irreligiositas — atheismus?
- Quanam via debellanda sunt ista Atheorum commenta?
- Unde religionis tanta inter homines ortum suum duxit diversitas?
- E quonam fonte religio omnis haurienda?
- Cur Paulus naturalem religionem revelationis nomine insignivit?
- Quomodo vulgo dispesci solet religio, & quot ejus numerantur forma?
- Naturalis illa, num pura adeo mansit, aut per se subsistere potest?

- Apud quas gentes olim obtinuit adhucve obtinet naturalis religio?
- Num damnanda est cognitio Dei, natura duce informata, quamquam variis scateat defectibus?
- Quam dignitatem & quem usum habet hæc religio?
- Quænam ejus præcipua sunt capita?
- Num puriores omnes gentilium de Deo notiones a sola ingenii humani vi originem repetunt suam?
- Num ergo naturalis religio traditione quoque & historica veritate nititur?
- Quomodo Paulus puriorem hæc adumbrat religionem?
- Cuinam causæ omnem ethnicæ religionis depravationem adscribit?
- Cuinam origini debetur Philosophica, quam naturalitæ extollunt, religio?
- Qua ratione placuit Divinæ providentiæ puram conservare religionem?
- Patriarchalis de Deo notitia quænam & quam lata?
- Quænam indicia Divinæ originis servat Moïsaica s. Judaica religio?
- Num mutationem quandam hæc Moïsaica doctrina per Prophetas passa est?
- Unde diluenda est criminatio nonnullorum in Moïsem & Prophetas, utpote nihil ultra gentilium sapientes, quin etiam falsa propinantes, dogmata?

Num

Num Judaica religio universalis cenſeri pot-
eſt, i. e. omnibus hominibus ac genti-
bus lata?

Danturne leges poſitivæ univerſales?

Quem uſum eximium hæc Moſis & Prophe-
tarum religio in ipſa gente Judaica tu-
lit — quem uſum in gentibus profanis?

Quænam gens ex profanis illis veriorẽ ten-
nuit Numinis cultum?

An credibile eſt, Judæos in captivitate Ba-
bylonica Perſarum ſtuduiſſe religioni,
hincque ſuum derivari cultum?

Religio Muhamedana quæ & unde natales re-
petit?

Num ſani quid continet hæc religio?

Quid damni & quid emolumenti hæc ſecum
tulit ſecta?

Quibus adminiculis, quanam de cauſa, &
quam late propagata eſt Illamitica iſta
religio?

Unde ſperare licet fanaticam hanc ceſſaturam
eſſe religionem?

Quænam mala imprimis adhæreſcere religioni
in univerſum ſpectatæ?

Quomodo iudicium ferendum de religione a-
liorum?

Num ſuperſtitio & fanaticiſmus ſummam reve-
latæ doctrinæ derogare poſſunt vim, ut
adverſariis placet?

Religio Chriſtiana quæ & quotuplici nititur
fundamento?

De Theologia.

- Quomodo differt Theologia & religio Christiana?
- Quis est ambitus studii Theologici?
- Unde patet necessitas ejusdem?
- Quænam est studii Theologici immensa utilitas?
- Quibus præprimis inculcanda est, sollicite religioni nostræ studere?
- Quem usum de Theologia percipient qui alias tractant scientias?
- Quid vero ad Theologicum studium semet accingens imprimis vitabit atque cavebit?
- Quænam præjudicia maxime noxia e medio tollenda?
- De methodo studii Theologici quid judicandum?
- An tantum est commercium religionis & ceterarum scientiarum, quantum has inter invicem spectatas?
- Quænam sunt scientiæ Theologum præparaturæ, & velut propædumata?
- Quænam studia præsertim tangunt Theologiam, utpote ejus propria adminicula?
- Quid est Philologia Sacra?
- Quid Philosophia morum ad instruendum Theologum valet?
- Cujus usus est historia religionis?

Posfuntne Philologia cet. tanquam partes Theologiae considerari?

Quo pertinet Theologia Archetypa, Angelica, Eclypa, Cafuistica, Homiletica, Myftica, Typica, Symbolica, cet.?

Num magni uisus, aut potius incommodi est, varie ita difpalcere Theologiam pro diuerfa eam tractandi methodo?

Quot autem partibus vere ftatui potest Theologia confiftere?

Num theoria religionis Christianae commode difpalcitur in Dogmaticam & Moralem?

Quis primum difjunctit has invicem concatenate partes credendorum & agendorum?

An fubtilis admodum est dififio Theologiae in objctivam & fubjctivam?

Quaenam dififio enata refpectu ipsius ftili f. formae, in perfcribenda Theologia neceffariae?

Quomodo intitutio popularis rite procedet? In ipfo fystematico ac philofophico religionem tradendi modo, quid cavendum est?

Quam methodum antiquiffimi Patres praetulerunt?

Num cauti est Theologi, ftilo Biblico, formulario, fymbolico femper uti?

Quomodo dirimenda est controversia, utrum Theologia fit fcientia, an habitus?

Quae-

- Quænam sunt requisita boni Theologi?
 Qualis esse debet modus intelligendi dogmata?
 In quo consistit subtilitas docendi & explicandi?
 Quinam inprimis apud Patres Ecclesiasticos dicebantur Theologi?
 Unde nomen Theologiæ ortum?
 Quinam inprimis ex antiquiori ævo laudabilem in condendo systemate posuere operam?
 Quinam celebres Theologi ex Reformationis ævo?
 Quinam recentiores potissimum nominandi?
 Quid valet historia religionis & interpretatio Scripturæ S. ad sanum condendum systema?
 Quinam præcipuus Fons Theologiæ?

De Scriptura Sacra.

- Quo nomine insignitur Scriptura S.?
 Quomodo dividitur Scriptura S. respectu temporis, materiæ & filii?
 Historici libri V. T. quot & quinam?
 Poëtici libri quinam, — Prophetici?
 Quot libri Historici & Dogmatici in N. T.?
 Quid autem præbandum erit, antequam sacro huic fonti fidere liceat?
 Quid per Authentiam scripturæ intelligitur?
 Quo-

- Quomodo authentia N. T. demonstranda?
 Num & quid stilus & argumentum ad sinceritatem N. T. probandam valet?
 Quænam & quotuplicis ordinis sunt historica argumenta pro genuina N. T. veritate?
 Quomodo ex silentio hostium religionis aut aliis eorum conatibus authentia N. T. illustratur?
 Annon quoque in conservatione N. T. magna & major, quam in profanis scriptis, elucet providentia Divina?
 Num criminatio hæreticorum detrahit quidquam de authentia Scripturæ S.?
 Unde scripta N. T. dicuntur Canonica?
 Quomodo iudicium ferendum est de Canone N. T.?
 Pertinetne hoc ad historiam vel inspirationem?
 Qualis originis & ordinis sunt libri Canonici N. T. — Historia Canonis?
 Quot *ὁμολογούμενα* & quando collecta?
 Quot *ἀντιλεγόμενα* s. disputata?
 Quando & a quibus Ecclesiis sunt recepta?
 Quibus in conciliis Canon imprimis constituebatur?
 Num ab arbitrio & testimonio Ecclesiæ quidquam licet pro Apostolorum auctoritate concludere?
 Num integritas N. T. impedit sobriam criticism?

Qui-

- Quinam celebriores Critici N. T. ?
- Necessitas & usus librorum S. ad religionem nostram tuendam propagandamque probetur ?
- Quomodo authentia V. T. demonstratur ?
- Argumenta interna & philosophica quænam ?
- Externa & historica quæ ?
- Quinam indignæ s. domestici testes e Prophetis & aliis Scriptoribus ?
- Quomodo ex translationibus antiquis V. T. fides demonstratur ?
- Quodnam argumentum petitur ex diversis Hebrææ gentis Scriptoribus ?
- Num & quænam Scripta V. & N. T. perierunt ?
- Num detrimento cuidam magno desperdita sunt quædam monumenta Sacra ?
- Quid prælectio sacra contulit ad libros Divinos conservandos ?
- Quomodo Divina origo librorum S. definienda ?
- Num revelatio & inspiratio differunt, & quomodo seorsim solent considerari ?
- Potesne actus revelationis definiiri ?
- Unde in universum probatur necessitas revelationis ?
- Num revelatio omnem naturalis s. communis sensus aut rationis vim tollere dicenda ?

Daturne absoluta quædam, perfecta & immediata revelatio?

Circa quas res inprimis Divina revelatio erat occupata?

Num in humanis quoque rebus, historicis maxime, proponendis conspicua sunt Dei providentia?

Quænam inprimis momenta in inspiratione considerari solent?

Quot modi revelationis in V. T. celebrari solent?

Donumne Propheticum ab institutione publica quidquam adjumenti cepit, aut totum inde pendebat?

Unde Theopneustia V. T. speciatim probatur?

Unde Prophetarum de se latum testimonium firmatur?

Theopneustia N. T. quotuplex?

Quid valuit institutio Apotolorum per Jesum ad Divinam eorum firmandam missionem?

Ad quasnam res promissio Christi de adjumento Spiritus S. referatur?

Num testimonium primitivæ Ecclesiæ quidquam in Theopneustia dijudicanda valet?

Quid colligitur ex diversitate filii, quo Scriptores S. usi sunt?

Danturne accommodationes populares, & quomodo discernendæ sunt e proprio revelationis consilio?

Num

Num in omnibus, quoque physicis & naturalibus, rebus vacui erant Apostoli a tuæ gentis opinionibus ?

Quænam regnat harmonia doctrinæ in Apostolorum variis scriptis ?

Quam ratiocinandi methodum prætulere Apostoli ?

Quanam lingua scriptores V. T. usi sunt ?

Num Hebræa lingua, quæ sancta appellari iuevit, quidquam præstantiæ præ aliis habet lingvis ?

Cujus originis & auctoritatis sunt puncta vocalia accentusque ?

Qualis est lingua stilusque N. T. ?

Num hebraismi & solœcismi imminuere possunt librorum Sacrorum fidem pretiumque ?

Quænam divisio librorum V. T. quoad argumentum obtinuit ?

Quinam libri habebantur Apocryphici in V. & N. fœdere, & quo caractere a Canonicis distinguebantur ?

Quænam argumenta moralia suppetunt pro dubia eorum fide ?

Annon vero insignis eorum est usus, quamquam non sint a Prophetis & Apostolis concinnati ?

Quænam sunt affectiones Scripturæ S. ?

Quo respectu dicitur Scriptura S. unicus fons, sufficiens & integer ?

Num

Num difficiliora loca tollunt perspicuitatem
Scripturæ?

Quinam negant omnibus permittendam esse
Scripturæ S. lectionem?

Num & quo ex capite ratio humana s. fa-
cultas intelligendi est fons Theologiæ?

Damnatne Scriptura S. rationis usum, ut non-
nulli sinistra colligunt ex 2 Cor. 10: 5?

Quis est rationis usus sive abusus in ipsa re-
velatione dijudicanda?

Suntne traditiones Ecclesiasticæ Judæorum
& scripta Patrum Græc. & Lat. principii
instar habenda in Theologia?

Quem & quotuplicem usum præstant Patrum
scripta?

Quis est Symbolicorum librorum usus?

Sanusne quis de lumine quodam interno cum
Fanaticis somniabit?

Quotuplex est sensus Scripturæ?

Quid de mystico, typico, allegorico sensu ju-
dicandum?

De veritate religionis Christianæ.

Quænam sunt præcipua momenta in historia
& doctrina religionis Christianæ ejusque
defendenda auctoritate?

Quomodo probatur veritas hujus historiæ?

Quid de interno argumento statuetur?

Quodnam summum est argumentum, quod i-
pse

- pse Christus ejusque Apostoli toties provocare solent?
- Quid sunt miracula & quomodo probanda?
- Quinam veri miraculi characteres?
- Sufficitne in miraculo insolitos adesse eventus, non vero grave consilium?
- Quo signo distinguuntur miracula a prodigiis & artibus magicis?
- Quibus testimoniis veritas miraculorum historica nititur?
- Quanam via facultas & voluntas testium domesticorum æstimanda?
- Quænam sunt adversariorum, tam e Judæis quam profanis gentibus prolata, testimonia de Jesu miraculis?
- Quo fundamento fulcitur Apostolorum miraculosa virtus?
- Qualis fuit vis miraculorum in animis Judæorum & gentilium persuadendis?
- An persecutiones Judæorum irrita reddere potuerunt Apostolorum miraculosa dona factaque, aut quid contra valuerunt?
- Quid præsupponunt vaticinia?
- Quando & quomodo illa de Mesia prolata & impleta?
- Aliane vaticinia V. T. rem Christianam comprobant?
- Quænam vaticinia edidit Christus de se & gente Judaica?

Quid

Quid propagatio doctrinæ Christianæ & constantia martyrum ad probandum valent?

Universalitas religionis Christianæ quænam est & olim erit?

Num religio hæc perfectibilis est, vel in posterum antiquanda?

Quibus de causis insulse nonnulli aliam, philosophicam puta, religionem in Christianæ illius locum substituere volunt?

Num symbolica & systematica doctrina datur omnibus numeris jam absoluta?

Quomodo articuli fidei dispelcuntur?

Quænam dogmata sunt fixa, quænam mutationi obnoxia?

Potestne nexus & numerus articulorum fundamentalium definiri & æque omnibus præscribi?

Quænam sunt capita & velut ultima criteria, quibus Christiana religio nomenque carere omnino nequit?

Pertinentne mysteria ad fundamentalia dogmata?

Quotuplicis generis sunt mysteria?

Quænam prima est in omni religione doctrina?

De Deo.

Quis est & quomodo definitur Deus?

Num Deum rite possumus cognoscere mente?

Qua

- Qualis nostra cognitio de Deo?
- Num symbolica nostra & anthropopathica notio vera tamen esse potest?
- Qua via descendimus ad probandam Dei existentiam, quatenus naturali utimur lumine?
- Quid præter contingentiam mundi præsens Numen esse probat?
- Quinam Auctores præcipui in Theologia naturali?
- Num a se ipso mundus existere potuit ac potest?
- An ab æterno & per causas infinitas aut per necessitatem fati mundus esse cœpit?
- Quænam historica argumenta depromi possunt pro Dei existentia? Quænam moralia - - ?
- Quænam dicta Biblica imprimis hanc inculcant veritatem de Deo, universi hujus Creator?
- An credibile est, Mosen Prophetasque, Dei Supremi celebrantes majestatem, tantum de nationali quodam Judæorum Deo facere mentionem?
- Quale argumentum est, quod e sensu Numinis, animis nostris velut impresso i. e. familiari, atque e consensu omnium gentium deducitur?
- Deum unicum esse, num sanior ratio & religio naturalis, antiquior saltem, perspexit?
- Qui

Qui vero factum est, ut simplicissimam hanc
veritatem suis infuscaverint gentiles fig-
mentis?

Unde systema dualisticum emanavit?

Pantheismus quis & cui auctori debetur?
num Spinozismus ab eo differt?

Polytheismus quis & qualis fuit propaginis?

Quot habuit idololatria gentilium potissimum
causas?

Quomodo simplex de unico Deo veritas de-
mum restituta?

Potestne idea essentiae Divinae formari, aut
quomodo eam formare licet?

In rimandis summis Divinis perfectionibus,
quotuplici via procedendum est?

Quænam sublimia Scripturæ S. loca majesta-
tem ac perfectiones summi Dei inprimis
celebrant?

Quænam sunt philosophica de Deo ratiocini-
a?

Potestne Deus tantum negativa via definiri,
& quomodo hæc sonant argumenta?

Affirmativa attributa quænam?

Divisio attributorum Divinorum in quie-
scentia & operativa, physica & moralia,
immanentia & transeuntia, cujus frugis
est aut usus?

Quodnam est primum in attributis Dei u-
nici?

Respectu naturæ suæ incomprehensibilis, quo-
modo appellatur Deus?

- Cum vero auctores S. Deo attribuunt membra humana, quam figura utuntur?
- Divina immutabilitas & æternitas quæ & unde probatur?
- Quo vero respectu Deus voluntatem suam mutare dicitur?
- Omnipræsentia Dei quæ & quibuscum caute-
lis proponenda?
- Num modus præsentia Divinæ unicus, aut a propiori res creatas dirigendi studio remotus?
- Quomodo affirmantia attributa respectu diversarum facultatum dividi solent?
- Scientia s. intelligentia Dei quæ & qualis?
- Circa quas res occupatur Dei scientia?
- Unde probatur Dei scientia possibilium ac futurorum?
- Num necessitati aut sensuum fraudi obnoxius est Divinus intellectus, num succesivus & temporarius?
- Voluntas Divina quæ & qualis?
- Unde probatur, libertatem Deo competere summam?
- Quomodo dividitur Dei voluntas, pro nostro concipiendi modo?
- Quid est voluntas antecedens & consequens, absoluta & hypothetica, non efficax & efficax?
- Num subtiliter satis & vere distingvitur voluntas signi & beneplaciti?

- Quibus in causis maxime conspicua est Divinae voluntatis immutabilitas?
- In quo consistit & quomodo se exerit Divina omnipotentia?
- Quænam Biblicæ locutiones Dei potentiam exprimunt?
- Quem influxum in animi nostri statum habet hæc veritas de Dei omnipotentia?
- Quænam aliæ perfectiones Divinae voluntatis?
- Quid est bonitas s. amor Dei? Quænam sunt Divini amoris documenta testatissima?
- Quonam usu linguæ *ἰσχυροῦς* exprimit favorem Dei?
- Quid est gratia i. misericordia Divina?
- Impeditne amor Dei justitiam ejus punitivam, quæ sanctitatis est demonstratio?
- Quomodo sanctitas & justitia Dei in Bibliis S. insigniuntur, differunt & probantur?
- Quotuplici modo demonstrat Deus suum recti verique amorem?
- Legislatio Divina quotuplex, & num reapse diversa est, licet varius sit eam cognoscendi modus?
- Tollunturne naturales s. necessariae leges per arbitrarias illas aut positivas?
- Quotuplex est justitia Dei distributiva?
- Num remunerativa illa spectat tantum naturales consequentias?
- Ex quo fundamento justitia punitiva arbitraria esse potest?

- Pœna naturalis quæ?
- Num mala physica semper instar pœnarum sunt habenda?
- Quodnam momentum imprimis efficit discrimen pœnæ & castigationis naturalis?
- Quomodo vocatur sanctitas Dei, in promissis suis servandis conspicua?
- Quid est sapientia Dei, & quam vario usu vocabulum σοφία usurpatur?
- Quanam practica applicatione Divinæ perfectiones summæ recogitandæ sunt?
- Quibus nominibus unicus Deus in Bibliis insignitur? Unitas Dei demonstratu?
- Quænam doctrina de Divina natura peculiaris est Scripturæ S.?
- Ritene vocabula: persona, trinitas, societas Divina cet. in stilum formularium adoptata?
- Num certa quædam doctrina certumque symbolum omnibus Christianis hac in parte præscribi potest?
- Quid cauti est interpretis & Theologi de mysteriosa Divina natura tenere?
- Quid valet ratio ipsa in hac dijudicanda veritate?
- Quo jure retulerunt nonnulli effata S.S. de tribus in essentia Divina, ad antropopathica & symbolica?
- Quid solatii tecum fert hæcce doctrina?
- Quodnam est palmarium argumentum ad quod veluti

veluti ad amussim cetera omnia referantur?

Quid baptismi formula, historia Jesu baptizati & apprecandi modus in Paulinis epistolis, pro infinita Dei natura adstruunt?

Num quidquam adjumenti in hoc dogmate ex dicto 1 Joh. 5: 7. sumendum?

Num e pluralitate numeri aut triplici acclamatione (Jes. 6: 3.) valet concludere ad diversam personalitatem?

Quomodo varius infiniti Dei manifestandi modus in V. T. innotuit?

Quandiu viguit simplex doctrina de Deo, utpote Patre, Filio & Spiritu S.?

Num modus communicandi essentiam in Deo idem cum modo eandem manifestandi?

Quinam ex antiqua Ecclesia tres Divinas virtutes judicarunt esse?

Quinam primi Divinitatem Jesu C. recusabant?

Quodnam inprimis est, in quod impingere solent Unitarii?

Num character, quem dicunt, personalis: generatio, filiatio, spiratio — proprio sensu an tropico sumi debet?

Quenam loca Biblica præcipue probant Divinam Jesu missionem & originem?

Quid valet vocabulum: filius Dei, unigenitus cet. pro Jesu Divinitate demonstranda?

Quo-

- Quomodo Messias in V. T. celebratur?
 Annon Apostolorum de Jesu prolata testimonia cum proprio ipsius effato conspirant?
 Quibus variis sub nominibus, imaginibus & attributis sublimem Jesu majestatem laudant Apostoli?
 Cultus religiosus Jesu C. adsignatus vindicetur?
 Quibus nominibus Spiritus Dei appellatur?
 Quænam vis & valor est vocabuli: Spiritus, in V. & N. T.?
 Quo sensu eximie animi dotes ac omnes boni motus Spiritui S. adsignantur ac vere competunt?
 Quænam alia opera Divina & perfectiones Spiritui adscribuntur?

De Creatione.

- Quænam summi ac unici Dei opera spectatissima?
 Quid est Creatio & unde potissimum probatur?
 Quotuplici sensu sumitur vocabulum κτισθῆν?
 Num creatio necessaria fuit, aut mutationem quandam apud Deum produxit?
 Quænam causa creationis?
 Quis creationis ambitus, quænam ejus imensa gradatio & harmonia?

Quo-

- Quomodo Divinae perfectiones in creatione elucent?
- Quis primam descripsit creationem, aut num prima initia totius & immensi mundi definiri possunt?
- Quænam notabiles sunt controversiæ in Moisaica historia creationis?
- Num ipse Moles auctor debet censeri hujus historiae?
- Quodnam præcipuum est hujus antiqui monumenti consilium?
- Qualis est modus narrationis? An poëmaticis, philosophematis, aut historiae vim habet?
- Num prima an restaurata orbis nostri creatio in monumento hocce subintelligenda?
- Num ipse creationis modus e revelatione anxie repetendus ac postulandus?
- Num quædam documenta probant tellurem hanc antiquiorem esse?
- Num hexaëmeri inventio ingenio auctoris adscribenda, an veram revolutionem sex dierum spatio factam narravit scriptor?
- Quænam sunt nonnullorum Philosophorum de origine mundi hypotheses?
- Num tota hæc doctrina fundamentalis est, aut cujus eximii usus?
- Quot classes naturarum intelligentium complectitur Divina creatio?
- Unde probatur, dari Angelos?

- Quomodo Angeli in S.S. vocantur?
- Num ipsa origo angelorum, eorumque numerus, ordo & natura definiri ex Scriptura aut ratione potest?
- Quomodo dispescuntur angeli, & quænam ratio hujus divisionis?
- Unde potissimum ortum duxit instructior theoria de angelis?
- Tutone ministerium angelorum, quasi provincialium, tutelarium cet. definiri potest?
- Num Moses angelorum ministerio usus est in promulgatione suæ legis? Quomodo dicta N. T. Gal. 3: 19. Ebr. 2: 2, explicanda?
- Num angelis tutela infantum commissa, aut quid Math. 18: 10 significatur?
- Quo sensu intelligendi sunt angeli, in carminibus prophetis nominati?
- Quam provinciam angelis commisit Divina providentia in J. su C. mirabili vita celebranda?
- Suntne angeli conspiciendi posthac?
- Num cultu religiolo sunt prosequendi aut pio animo venerandi?
- Danturne dæmones & unde probatur?
- Quibus sub nominibus vulgo innotescunt?
- Tempusne ac modus lapsus eorum definiri potest?
- Num potestas diaboli in his terris quodam modo se exerit?

Qua ratione explicanda sunt dicta, ubi studia dæmonum memorantur ?

Unde probatur, dæmoniacam vim in animis hominum, ad peccata sollicitandis, non esse propriam ?

Quænam est Apostolorum constans doctrina de animi natura, Rom. 7: Jac. 1: 14. ?

Dantur peccata atrociora, quæ omnem humanum superant sensum ?

Num Judæ proditio ac Petri abnegatio influxui diaboli debetur ?

Proprie an tropice & ex Judæorum opinionibus explicandæ sunt phrasæ: *dæmoniæ* & *dæmon* cet. ?

Num ergo obsessio quædam corporalis locum invenit ?

Quinam atrociores ac insanabiles vulgo morbi dæmonum influxui adscribebantur ?

Cur vero Christus ipse non confutavit vulgares de dæmonibus opiniones ?

Num accommodatio popularis ad superstitionem confirmandam valet ?

Quo ex fundamento veteres Ecclesiæ doctores hanc de diaboli potestate exposuerunt ideam ?

Cujus pretii sunt vulgi opiniones de præstigiis, artibus magicis, pactis cum diabolo, spectrorumque figmentis ?

Cujus fori est hanc totam dijudicare controversiam ?

De Providentia.

- Quanti momenti in religione & perfectione
nostra p̄ omovenda est, Deum colere pro-
vidum nostrum gubernatorem ?
- Quid est providentia Divina? Quis ejus
ambitu ?
- Quotuplici ratione Deus providam gerit cu-
ram mundi rerumque creatarum ?
- Num generalior conservatio mundi physici
a virium sustentatione removeri potest ?
- Num vires naturæ pendent a semel stata le-
ge, an ad specialem Dei concursum re-
ferantur ?
- Quomodo attenta naturæ consideratio hanc
Dei præsentem comprobat curam ?
- Quænam est Sacrorum Scriptorum in subli-
mi hac materie constans doctrina ?
- Unde colligimus, revelationem insigniter e-
mendasse & adauxisse naturalem homi-
num de Dei providentia notitiam ?
- Quænam fuere gentilium in hac veritate sum-
ma divortia ?
- Quomodo in conservatione humani generis
apparet provida Dei cura ?
- Qualis est Dei concursus ad actiones liberas
s. morales ?
- Num libertas naturarum intelligentium tolli-
tur Divinam per sustentationem ?

Qui-

Quinam negarunt homini libertatem competere?

Quid est gubernatio Divina & quotuplici modo cernitur?

Num e malo, quod in mundo obvium est, quispiam colligat, Deum non habere curam rerum creatarum?

Malum quotuplex?

Num phyficum malum semper est necessarium aut per hominum culpam sæpissime imminens?

Cujus us sunt physica mala?

Dantur res in mundo absolute noxiæ & venenatæ?

Quomodo versatur Dei gubernatio circa publicas quasvis calamitates?

Quid est malum morale & cui origini debetur?

Num ignorantia, quacum nascimur, & sensibilitas naturæ nostræ malum est morale?

Qua ratione Deus se gerit in his malis?

Quomodo in eventibus ac negotiis humanis dirigendis occupatur Dei cura?

Unde probamus res omnes fataque nostra Dei subesse regimini?

An indigna Deo est rerum minimarum cura?

Quænam sunt causæ Divinæ providentiæ?

Quibus legibus ac adminiculis adstricta est hæc Dei gubernatio?

Num

- Num tamen ordinatum naturæ cursum certo
 consilio immutat, Deo convenit?
 Quinam negant miracula?
 Quinam justo plus accumulanti?

De Homine.

- A quo & quali stilo conscripta est historia
 creationis primorum hominum?
 Quinam primi erant homines, & quomodo
 præadamitarum defensores retellendi?
 Quo consilio primi homines creati & ubi col-
 locati?
 Num paradisi, amœnissimæ regionis, situs de-
 finiri rite potest?
 Qualis fuit protoplastorum primitivus sta-
 tus?
 Quodnam discrimen est primitivi & infantilis
 status?
 Quam perfectionem involvit imago Divina?
 Latiori sensu sumpta imago Dei num reman-
 sit?
 Quænam erat perfectio intellectus, & quacum
 cautione adstruenda?
 Num cognitio protoplastorum immediate a
 Deo, an naturali modo acquisita?
 Singularem Dei beneficio an humano ingenio
 sermonis origo debetur?
 Qualis erat voluntatis perfectio?

Qua via infantilis innocentiae transitus ad perfectiorem virtutem obtinuit?

Num aeterna mansio in his terris homini destinata fuit?

Quenam erat corporis indoles?

Domiojunne in creaturas adhuc valet?

Unde gentiles aureum aevum celebrare didicerunt?

Quenam felicitas primis contigit hominibus ac destinata erat?

Quomodo haec salus sensim immutata?

Num sensualis primorum hominum natura absque experimento perfici potuit?

Quae lucta sensuum atque rationis cito animum invadere cernebatur?

Cui normae adstringebatur rectum rationis iudicium?

Qua sub imagine sensuum fraus sistitur?

Simpliciter an allegorice historia lapsus explicanda?

Quomodo simplex historia sonat, & quid in ea tantopere sollicitat?

Quid caute statuendum est de veritate facti & scriptoris stile?

Annon temerarium est quaerere, cur Deus primos creaverit parentes, ut labi posset?

Quid respondendum tritisimae quaestioni de mundo optimo?

Quenam causa & occasio fuit protoplastis Divinam migrandi legem?

Quo

- Quomodo narrationem de serpente ad mysticum sensum detorserunt multi?
- Unde explicatio de diabolo enata & in N. T. adoptata?
- Num fastus, mendacii aut malignitatis nomine peccatum primorum hominum exasperandum?
- Quid similitudinis cum quotidiana experientia habet historia primorum hominum?
- Quis fuit ac depingitur esse peccati effectus?
- Qualis fuit experientia vitæ quotidianæ molestioris ac sub partu acerbioris?
- Quænam sunt specimina melioris ac tranquillioris vitæ in protoplastis?
- Num præter bonorum multorum jacturam atque pœnam naturalem, alia adhuc æterna, morsque spiritualis invasit?
- Num & quomodo mortis naturalis necessitas ex natura hominis derivatur?
- Quem effectum in posteris protulit lapsus?
- Num posterius venerunt in societatem peccati, an ipsius naturæ & effectuum?
- Quibus legibus adstricta est propagatio humani generis?
- Quot partibus essentialibus constat homo?
- Unde originem animarum arcescere licet? quotque systemata excogitarunt Philosophi?
- Quibus facultatibus ornatus est animus?
- Quænam sunt psychologica principia de indole & viribus animi?

- An destinatio & dignitas humanæ naturæ penitus evanuit?
- Moralis ergo natura quotuplici de capite consideranda?
- Num imperfectio humanæ naturæ reapse instar peccati consideranda?
- Animusne depravatus dici debet alio respectu, quam propter commercium ejus cum corpore?
- Daturne absoluta quædam impotentia boni, contra vero vitium connatum s. insitum?
- Quibus sub vocabulis infirmitas naturæ in Bibliis S. obvenit?
- Quomodo scriptores S. constanter naturam humanam adumbrant?
- Quid valet experientia ad theoriam hominis exponendam?
- Quomodo se exferit moralis hominis natura?
- Quotuplici modo sensualis natura vim suam in animum exferit?
- Unde vitiositatem s. studium pravi inprimis arcescere licet?

De Peccato

- Quid est peccatum s. vitium?
- Quomodo vulgo peccatum dispescere solent, & quibus de causis?
- Explicentur loca Ps. 51: Rom. 5: 12-21?

An-

- Annon præter sensuum inordinatum usum dominiumque aliæ sunt causæ remotæ, tam publicæ, quam privatæ?
- Vitiositatem ab exemplorum imitatione ac prava educatione sola non pendere, demonstratur?
- Annon physica corporis constitutio varia proclivitatem quandam boni ac mali secum fert?
- Quid præsupponit peccatum s. actio legi contraria?
- Num in infantibus ac amentibus proprie locum invenire potest peccatum?
- Quotuplicis ordinis sunt vitia actualia?
- Interna s. mentis vitia quæ? Externa s. corporis?
- Quid sentiendum de divisione peccatorum in philosophica & theologica?
- Num omisio boni quoque peccatum est?
- Unde patet, atrocius sæpe esse peccatum in omisio bonis, quam commissis criminibus?
- Quomodo peccata respectu intellectus dispeſcuntur?
- Quotuplex est error & ignorantia?
- Qua cautela opus est in dijudicandis præjudiciis aliorum?
- Quænam divisio peccati respectu voluntatis locum obtinuit?
- Quodnam iudicium ferendum de peccatis infirmitatis? Proæreticum peccatum quod?
- Habi-